



## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Quæst. An Clerici teneantur legibus teloniorum per Laicios Principes vel  
Magistratus positis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

## TITULUS II.

### De Constitutionibus.

#### DECISIO II.

De Parocho ad solvenda vectigalia per Officiale Laicum adacto.

#### SPECIES FACTI.

**N**on ita pridem Parochus quidam extraneus in alienam provinciam una & altera vice plaustrum proprio frumento onustum invexit, ut ibi venderet: sed Praefectus telonii ad fines provinciae suarum partium esse duxit ab auriga vectigal exigere, non ignarus, quod veheret frumentum Parochi; quod telonium ille recusavit, exemptionem sui heri causatus. Pro illa vice acquievit Praefectus: at post aliquot hebdomades cum rursus per eandem viam aliud frumen-

tum ejusdem Parochi inveheret praefatus auriga, & petitem denuo vectigal recusaret, exhibens schedam manu Parochi, suum id frumentum esse attestantis, exaratam, telonarius equum curru solutum retineri jussit, & pignorari, donec auriga eidem vectigal solvisset. An omnes hae circumstantiae, qualiter mihi relatae sunt, intervenerint in facto, non scio. Sed quidquid sit, facta hypothese, an bene fecerit telonarius, palam faciet resoluta

#### QUAESTIO.

*An Clerici teneantur legibus teloniorum per Laicos Principes vel Magistratus positis.*

**U**thujus vectigalium Praefecti excusaret factum, non nemo seu serio, seu fictè obligationem Clericorum asserere conabatur sequentibus ex argutiis.  
(R.P. Pichler Decisiones)

I. Clerici obligantur aliis legibus laicorum in rebus temporalibus, si non vi coactiva, saltem vi directiva, & ex decentia, v. g. legibus, quae

B

quæ taxam ponunt mercibus. frumenta exportari e provincia prohibent &c. Communis cum Haunoldo *tr. prom. à n. 80.* Concordat *Can. adjutorium dist. 10. Can. in Legibus. caus. 12. q. 2.* Ecce ergo etiam obligantur lege vectigalia imponente; præsertim si sint extranei, qui in spiritualibus non seruiunt patriæ, ut fuit iste Parochus, & tamen commodum in patria quærunt; quidni & onus sentiant? Dein de tali extraneo non constat, an non negotiationem exerceat cum frumentis, eaque emerit prius minori, ut alibi vendat majori pretio lucri gratiæ: cujusmodi negotiatores nec de Jure Canonico exempti sunt à gabelis, portoriis, & vectigalibus. *c. fin. de vit. & hon. Cler. c. 4. in 6. & Clem. 3. de Censib.* Nec opus est, ut prius ter, imò semel tantum, ab Episcopo sint moniti, ut à negotiando desistant. per *Jura cit. Felin. Sanch. & Cancellar. Schmid. Semicent. 2. controu. 19. n. 9. cum communiori.*

II. Quamvis Clerici non obligentur in Bavaria ad *ind. bita, Ungelt* / quæ vel à Principe, vel à Civitatibus exiguntur ex potulentis, vino & cerevisia, quæ venduntur; tenentur tamen ad *accisa*, præsertim *limitanea, Gränitz, Aufschlag* / à Statibus Provincialibus per legem imposita pro vinis exteris in Bavariam illatis; uti & ad 6. mensuras de singulis urnis vini jam importari, seu potius illarum pretium, quo in tabernis venduntur, iisdem Statibus solvendum titulo *indebiti, Ungelt* / ac insuper ad alios duos florenos de

singulis urnis titulo *accisi, Aufschlag*. Cur ergo immunes sint à gabellis & vectigalibus, præsertim cum accisa *limitanea* valde vicina sint *vectigalibus*, quæ exiguntur pro rebus terræ advectis, & vocantur *Zoll* / ac *portoriis*, quæ exiguntur pro rebus aquæ advectis, & dicuntur *Mauth* / adeoque *teloniis*, quæ utriusque fortis exactio-nes complectuntur velut genus duas species?

III. Clerici, & personæ Ecclesiasticæ tenentur ad transituram, seu ad aliquid præstandum pro libero transitu viæ publicæ, uti ad *pedagia, Weeg, Gelder* / pontenagia, *Bruck, Gelder* / & pontivegia *Urphar, Uberfuhr, Gelder* per naves pensiles vel rotatiles super aquas ab uno littore ad aliud. *Phil. Knipschild de jure & priv. Civit. Imper. l. 2. c. 17. n. 46. 79. & c. 10. n. 30. Klock. de vectigal. th. 27. cum Carolo Molineo, Rosenthal de Feud. c. 5. concl. 81. n. 2.* ergo etiam obligantur ad telonia ratione curruum, cum quibus transeunt.

IV. Licet personæ Ecclesiasticæ non ligentur fortè legibus & statutis Laicorum, consuetudine tamen Laicorum ligari possunt, utpote quæ etiam in causis Ecclesiasticorum attenditur juxta *c. constitutus de in integr. rest. c. 3. de eo, qui mittitur*. Et tali consuetudini innititur statutum Bavaricum *der erklärten Lands, Freyheit p. 1. art. 7.* ubi Status Provinciales Ecclesiastici subjiciuntur Dicasteriis Laicis summis Baviaræ Principis etiam in personalibus, in *Persöhnlichen Sprü-*  
chen/

chen / quæ nimirum, ut Legislator in præfatione ad d. p. 1. explicavit, res & bona, non personas Prælatorum concernunt: ergo Clerici inferiores, & omnes Clerici sæculares, qui non sunt Status Provinciæ non debent esse melioris conditionis.

V. Princeps & Magistratus sæcularis obtinet dominium altum in omnia bona temporalia suæ Provinciæ & ditionum, vi cuius etiam per leges ex publica causa, bonum & utilitatem communem spectante, de iis disponere potest, v. g. per legem Præscriptionis: & ex hoc capite potest diruere ædes, occupare fundos &c. subditorum ad construenda munimenta &c. si ita exigat necessitas vel utilitas Reipublicæ: sed portoria & vectigalia exiguntur ob necessitatem vel utilitatem Reipublicæ, cuius membra etiam sunt personæ Ecclesiasticæ: ergo etiam à personis Ecclesiasticis iuste exiguntur portoria & vectigalia. Nec inde eximi possunt Clerici extranei, præsertim si in alienis terris, in quas suas merces invehunt, inhient lucro; cum non debeant esse melioris conditionis, quàm incolæ: & extranei, si ingrediantur alienas terras, legibus contractuum & similibus obligentur.

VI. Neque huiusmodi leges, quæ generaliter imponunt omnibus portoria & vectigalia, lædunt libertatem & immunitatem Ecclesiasticam, eò quòd nec directè afficiant Clericos, cum nullam horum mentionem faciant, nec indirectè, eò quòd solum per acci-

dens sit, ac præter intentionem legislatoris Laici, si Clerici, qui fortè cum mercibus transeunt, hoc onere simul involvantur; sicut per accidens est, & non contra immunitatem Ecclesiasticam, si Clerici debeant vina, cerevisiam, carnes &c. cariori pretio emere ex eo capite, quòd à cauponibus, praxatoribus, macellariis &c. exigantur accisa, ac propterea dictæ merces carius vendantur. Confirmatur: Lex propter bonum publicum statuens, ne certi generis merces exportentur ad externos, non peccat in externos, neque horum violat libertatem: ergo neque lex propter bonum publicum, indistinctè imponens vectigalia, gabellas &c. peccat in Clericos, nec eorum violat libertatem.

Sed hæc adedò infirma sunt, ut sine dubitatione tenendum, malè omnino, contra Jus Civile æquè, ac SS. Canones, egisse hunc telonii Præfectum, exigendo vectigal à Paròcho frumentum invehente in alienam Provinciam, & pejus executivè procedendo per arrestationem equi, & sic extorquendo vectigal. Siquidem non tantum in Jure Canonico clarus & maximopere notandus exstat textus in c. 4 de Censib. in 6. ibi: *quamquam pedagiorum exactiones iam in Jure Canonico, quàm Civili, regulariter meritò sint damnata, tantò tamen distri-*  
*ctius, ne ab Ecclesiis & personis Ecclesiasticis talia exigantur, prohiberi oportet, quantò, si id fiat, major inde transgressionis reatus incurritur, & offensa evidentior comprobatur. Cum igitur*  
Eccle-

Ecclesia, Ecclesiasticaque persona, ac NB. res ipsarum non solum Jure Humano, quin imò & Divino à secularium personarum exactionibus sint immunes: --- adicimus districtius inbibendo (contraria consuetudine quorumcunque, quæ dicenda est corruptela veriùs, non obstante.) ut nec Collegium nec Universitas, nec aliqua etiam singularis persona, cujuscunque sit dignitatis, conditionis, aut status, à prefatis Ecclesiis aut personis, pro personis ipsis, aut NB. rebus prædictis talia exigat. Qui verò contra fecerint, si persone fuerint singulares, excommunicationis &c. Verùm etiam in Jure Civili, ubi Frid. Imperator in Auth. Item nulla sub poena Imperialis banni, & sub poena tripli prohibet, ne communitas, vel persona publica vel privata, collectas, vel exactiones, angarias, vel parangarias, Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponere, aut invadere Ecclesiastica bona presumant. Ubi Doctores cum Rullando sub verbo exactiones etiam determinatè intelligunt teloniorum præstationes. Neque hæc Jura solum de bonis in fundationem datis, vel intuitu Ecclesiæ acquisitis, sed etiam de patrimonialibus Clericorum & aliunde acquisitis exaudienda sunt, ut ostendit Illustriß. Cancellar. Schmid Semicent. 2. contröv. 19. n. 5. Unde

Uterius sic arguo I. Clerici & persone Ecclesiasticæ non ligantur ullis legibus aut statutis Laicorum, quæ adversantur immunitati & libertati Ecclesiasticæ: sed lex, imponens telonia Clericis sive directè sive indirectè,

tacitè vel expressè, adversatur libertati Ecclesiasticæ: ergo. Ma. est tam evidens ex utroque Jure, ut nullus Jurista cordatus in dubium vocare possit propter Auth. Cassa. C. de SS. Eccles. ibi: Cassa & irrita esse denuntiari per totam Italiam præcipimus omnia statuta, & consuetudines, contra libertatem Ecclesiæ, ejisque personas indultas adversus Canonicas & Imperiales functiones - - & de cætero similia attentata ipso Jure nulla esse decernit. & propter c. noverit. c. gravem. de Sent. Excomm. c. 1. c. fin. de Immunit. Eccles. in 6. ubi etiam excommunicatione fulminantur, qui talia statuta fecerint, servaverint, vel secundum ea judicaverint; quam augeat Bulla Coenæ in casu. 5. eam Sedi Apostolicæ referendo latam in eos, qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmatics, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujuscunque consuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, & ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo leditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu Nostris & dictæ Sedis ac quarumcunque Ecclesiarum juribus quomodolibet, directè vel indirectè, tacitè vel expressè præjudicatur. Sed pariter certa est Min. nam contra libertatem Ecclesiasticam à plerisque omnibus censetur esse statutum, vel lex, quæ disponit contra privilegia, immunitates, vel Jura, Ecclesiis,

sis, aut personis vel rebus Ecclesiasticis aliunde concessa, nempe Jure Naturali, Divino, Gentium, Canonico, Civili, earumque conditionem facit deteriorem. text. & DD. in *Auth. Et c. noverit. c. fin. cit. c. cum terra de Elect. c. quanto de privil. c. 10. de Constit. Carolus de Grassis de Effect. Cleric. eff. 2. n. 66. seqq.* nam libertas nihil est aliud, quam naturalis facultas faciendi, quod libet. *l. libertas. ff. de stat. hom.* vel de re sua disponendi pro libitu, vendendo, transportando, destruenda, consumendo. *l. in re mandata C. Mandati*, non obstante, quod dispositio cedat per accidens in præjudicium tertii. *l. fluminum s. ult. ff. de damno. inf.* quando ergo per legem restringitur Ecclesiis & Clericis hæc facultas, læditur eorum libertas. Atqui lex (vel Officialis Laicus) adstringens Clericos & personas Ecclesiasticas ad præstationes teloniorum tollit vel minuit privilegium, & exemptionem, ipsis concessam à Jure tam Civili quam Canonico, ut vidimus, facit ipsarum conditionem deteriorem, & minuit facultatem disponendi de rebus suis liberè &c. ergo tollit vel minuit libertatem Ecclesiasticam, eique adversatur.

Arguo II. Certum & indubitabile est, neminem posse suis legibus ligare eos, in quos non habet jurisdictionem, sive in specie illorum faciat mentionem, sive generaliter illos comprehendere sub legibus intendat. *l. fin. ff. de Jurisdic. t. t. C. si à non compet. c. 8. de divortis.* ut adeò

jurisdictio ex parte statutum vel legem condentis sit essentielle requisitum, ac substantiam legis afficiat: sine substantia autem nulla qualitas considerari potest. *l. nec ullam s. absentis. Et ibi Ang. ff. de petit. hered.* quia facere statutum vel legem est de lege jurisdictionis. per *l. omnes ff. de Just. Et Jure.* nam sicut dominium proprietatis respicit rem suam, ita dominium jurisdictionis subditos suos: sicut ergo non subditus non sortitur forum, ita nec legibus ligatur; paria enim sunt, vel eadem, esse subditum, sortiri forum, & legibus ligari. Gloss. & DD. communiter in *c. quod Clericis de for. comp.* sed Laicis nulla prorsus competit jurisdictione in personas Ecclesiasticas *c. 7. c. 10. de Constit. c. 12. c. 18. de for. comp. Auth. Cassa cit. Generale Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. in Bulla reformat. ubi sic ait: cum à Jure tam Divino quam Humano Laicis nulla potestas in Ecclesiasticas personas attributa sit.* Neque in res dictarum personarum. *c. fin. de vit. Et honest. Cleric. c. 1. de Immunit. Eccles. c. 10. Et Auth. Item Nulla cit. c. cum Laicis. de reb. Eccl. alien.* & notanter *c. 4. de Censib. in 6.* quia res & bona sunt accessoria personarum. *can. similiter caus. 16. q. 1. & accessorium sequitur suum principale. c. accessorium de R. J. in 6.* Vid. Gonzal. ad *b. t. n. 1. 10. seqq.*

Quæ adhuc magis procedunt de executione, v. g. per arrestationem, rei ablationem, poenam &c. si Clericus parere detrectet legi vel statuto Laicorum, uti attentavit Præfectus

telonii noster; licet enim statutis Laicorum, quæ non cedunt contra libertatem Ecclesiasticam, quandoque obligentur aliunde vi directiva vel indirectè, ut aliqui loquuntur, nimirum vel ex decencia Naturali, vel ex voluntate Pontificis & approbatione Juris Canonici, non tamen obligantur quoad vim coactivam, ita ut Judex Laicus facere possit executionem, punire, rem auferre, vel arrestare &c. Sed debet reum convenire coram Judice Ecclesiastico, ut is exequatur vel puniat &c. Carol. de Grassis *n. 484. seqq.* cum innumeris: Illustriss. Zeller *Consil. 13. n. 73. seqq.* Illustriss. Cancell. Schmid *controv. 21. n. 5. seqq.* nimirum propter defectum jurisdictionis ex parte laicorum in personas Ecclesiasticas (quas earum res representant) præsertim ubi intervenit delictum.

Atque asserta hucusque immunitas Clericorum à portoriis & vectigalibus adèd in usu est per totum Imperium, ut eandem etiam A Catholicis Principes & Status observent, testibus A Catholicis Scriptoribus, ut laudatus Cancellar. in fine *controv. 19. cit.* animadvertit. Allego hunc Auctorem in hac materia eò libentius, quia Patrius est, & in Bavaria summam habet auctoritatem, ac insuper Immunitatem Ecclesiasticam pro sua profunda scientia utriusque Juris longè peritius tractat, & pro sua pietate longè reverentius habet, quam alii, vel in Jurisprudencia obiter tincti, aut SS. Canonum

ferè ignari, vel turpes Principum secularium adulatores, aut profligatæ conscientie homines, personarumque Ecclesiasticarum olores, & vix factis Catholicis.

Nunc respondere ad opposita difficile non est. Ad 1. Clerici quidem obligantur vi directiva quibusdam legibus Laicorum vel ex decencia naturali, vel ex voluntate Pontificis, aut Juris Sacri illas approbantis (non vi legum à Laicis positarum propter defectum jurisdictionis in ferente leges) seu indirectè, ut aliqui loquuntur; nullo tamen modo, etiam paulò antè explicato, obligantur legibus & statutis libertati Ecclesiasticæ præjudicantibus; eùm his resistent Jura tam Sacra, quam profana, eisque obligari Clericos non permittant, ut ostensum est, sed leges teloniorum repugnant & præjudicant libertati Ecclesiasticæ, & immunitati Clericorum ac personarum Ecclesiasticarum, ut pariter declaratum. Neque decencia naturalis ad telonia adstringit Clericos Laicis solvenda; imò decencia naturalis potius exigit non solvi propter eminentiam status Sacri. Audi pulchra verba Sigismundi Imperatoris apud Goldastum *p. 1. Conf. imper. in vita Sigismundi.* Ein Priester / inquit, ein Ordens = Mann / ein Ritter / ein Knecht Adel / sollen nit Zoll geben: die Geistlichen darum / daß sie dessen Diener seynd / von dem all unser Freyheit kommt / und der ein Haupt ist aller Geschöpffen; der Adel darum / daß sie

ſie das Recht beſchirmen und ver-  
hüten/ ihr Leib und Leben darſtre-  
cken 2c. Quod iſte Parochus fuerit  
extraneus, ſeu extra provinciam, in  
quam importavit ſuum frumentum,  
nihil facit ad rem; quia non fuit extra  
ſtatum Clericalem & Eccleſiaſticum,  
cui competit privilegium exemptio-  
nis, libertatis, & immunitatis Eccle-  
ſiaſticae per totum Mundum, & ita,  
ut eidem nec ipſe renunciare valeat.  
Quod autem negotiandi, & lucri  
captandi cauſa importaverit, h. e. fru-  
mentum prius emerit, ut carius ven-  
deret, non praſumi, utpote factum,  
imò delictum contra SS. Canones,  
ſed prius concludenter probari debuiſ-  
ſet. Onus ſentire non debent, quod  
exemptis imponi non poteſt.

Ad 2. Eruditè & ſolidè reſpondet  
Cancellar. Schmid. ſemicent. 2. con-  
trov. 24 ubi diſtinguit tria acciſorum  
genera: primum eſt, quod imponi-  
tur cauponibus, cereviſiariis, lanioni-  
bus &c. tanquam ſubditis Magiſtratu  
ſaeculari, qui proin vina, cereviſiam,  
carnes cariori debent pretio vendere:  
& ab his acciſis, ſi Clerici emant hæc  
victualia per menſuras & pondera, non  
ſunt immunes, ſed debent illa emere  
communi & taxato pretio; cum hoc  
gravamen nec directe nec indiretè i-  
pſis impoſitum ſit, ſed ſolum per acci-  
dens eo implicentur. Alterum eſt, quod  
fortè à Clericis exigeretur, ſi ex vi-  
netis propriis in aliena provincia ſitis  
vina importent ac vendant, vel ſi ex  
hordeo, ſive proprio ſive coëmpto,  
pro ſe tantum & ſua familia coquant

cereviſiam, non tamen vendant, vel  
ſi proprios boves, oves, ſues, &  
alias domeſticas pecudes ad domeſti-  
cam utilitatem mactari faciant: & ab  
his acciſis propter ſuam libertatem  
Clericalem omnino immunes, & pe-  
riculoſum ait eſſe exigere propter de-  
fectum iurisdictionis in Magiſtratu  
ſaeculari, quæ unica exigendi cauſa  
eſt. Tertium genus eſt, quod for-  
ſan prætenderent Laici à Clericis, ſi  
per ſe, aut famulos ſuos, vel alios,  
in vicinas provincias, v. g. Sueviam,  
Franconiam, Tyrolim, excurrant,  
& potulenta pro ſua vel commodita-  
te vel neceſſitate domeſtica, non ne-  
gotiationis cauſa, in Bavariam im-  
portent; & ab his, quæ titulò ac-  
ciſorum limitaneorum, Gränig-  
ſchlag/ exiguntur in finibus Patriæ,  
quia pertinent ad jura vedigalium,  
abſolvit, ſicut etiam ab indebitis Um-  
gelt/ ſex menſurarum deß 6. maßigen  
Auſſchlags Principi, vel Magiſtrati-  
bus civitatum, imò & illarum 6. men-  
ſurarum, quas exigunt Status Pro-  
vinciales, ſolvendis abſolvere nititur;  
quin etiam ab acciſis duorum floreno-  
rum iisdem ſolvendorum, quos tamen  
etiam ipſe Princeps, & Status Provin-  
ciales tam Eccleſiaſtici, uti Prælati &  
Abbatiffæ, quàm Sæculares pendunt;  
cum non videat, quomodo Clericis  
Sæcularibus, qui Status Provinciales  
non ſunt, & ideo in hanc penſionem  
non conſenſerunt, ea imponi potue-  
rit: quamquam in fine ab ultimata  
hujus controverſiæ deciſione abſtine-  
at, eamque Sapientiorum iudicio re-  
linquat



linquat. Ex quibus negari posset *Antec.* argumenti, vel eò cum dicta declaratione transmissò *consequentia* & *paritas*.

Ad III. Rursus respondet idem Illustriſſ. Auctor sic: si pedagia &c. exigantur pro sufferendis publicis oneribus, vel conservatione statùs Principis, lucri vel quæstùs causâ, tunc æquiparantur vectigalibus & portoriis, consequenter non ligant Clericos & personas Ecclesiasticas: si verò exigantur pro expensis in reparationem viarum privatarum, vel pontium, factis aut faciendis, non in particulare Principis aut Reipublicæ emolumentum, tunc ad concurrendum, & titulò impensarum, non jurisdictionis Sæcularium, obligantur ex æquitate naturali; cùm utilitas redundet in singulos, & talia opera immèdiatè in privatum singulorum commodum cedant, ut si communitas, v. g. civitas, pagus, privatos ædificet ponticulos, aut privatas conficiat vias, ad Clericorum æquè ac aliorum privatam commoditatem; tunc enim æquum est, ut, sicut participant de commodo, etiam participant de onere, paucos nummos solvendo, quando utuntur ejusmodi viis & pontibus, donèc nimirum expensæ factæ refundantur, vel ut faciendæ in reparationem suppetant.

Ad IV. *N. antec.* vel *dist.* ligari possunt consuetudine Sacris Canonibus consona & legitimè præscripta, atque consensum Legislatoris Ecclesiastici saltem legalem habente. *C. antec.* Sa-

cris Canonibus contrariâ, qualis est omnis, quæ repugnat libertati Ecclesiasticæ, vel non legitimè præscriptâ, aut consensu saltem legali Pontificis destitutâ. *N. ant. & conf.* Sicut enim statuta Laicorum immunitati Ecclesiasticæ contraria à jure Canonico & Civili non sustinentur: ita nec hujusmodi consuetudines. *c. Noverit 49. de Sent. excomm. Auth. Cassa C. de SS. Eccl.* Illa consuetudo, cui dicitur inniti statutum Bavaricum *der erklärten Lands-Freyheit* / aliter sustineri non potest, nisi in quantum innittitur consensui Papæ, vel privilegio ejusdem saltem præsumpto. Ea tamen à Statibus Provincia Ecclesiasticis, quos propter eam in causis personalibus, bona ipsorum temporalia concernentibus coram summis tribunalibus Principis conveniri posse ajunt, extendi non debet ad Clericos inferiores, & personas Ecclesiasticas, quæ Status Provinciales non sunt; cùm consuetudo contraria Juri strictæ sit interpretationis.

Ad V. Imprimis dominium *altum* & *eminens* non est aliud, nisi dominium jurisdictionis, seu suprema jurisdictionis & plenitudo potestatis; adeoque in bona non-subditorum (quales sunt Clerici respectu Laicorum) se non extendit. Si tamen necessitas Reipublicæ exigat, ut circa res Clericorum aliquid disponant Laici, v. g. diruendo ædes, quæ obstant defensioni urbis, Respublica id facere nequit ex dominio alto, seu suprema jurisdictione, sed jure defen-

defensionis necessariae, quae jure naturali conceditur etiam contra non subditos. Debet tamen defensio, ut sit justa, habere *moderamen inculpatae tutelae*, nec obtendi contra eos, qui & quamdiu utuntur jure sibi competente, & injusti aggressores non sunt; aut quamdiu aliud remedium superest, nec debet fieri plus, quam praecise ad defensionem necessarium est; item, si periculum in mora non sit, & agatur de bonis Clericorum, recurri prius debet ad eorum legitimum Superiorem; alias enim non esset defensio necessaria & legitima, sed invasio iniqua. Deinde negatur suppositum, quod necessitas, vel utilitas Reipublicae conferat jurisdictionem in alios, alias non subditos: jus defensionis confert, non jurisdictionis. Ceterum si sufficeret publica utilitas ad ligandos legibus Laicorum Clericos, quaelibet lex Laicorum vel statutum deberet ligare Clericos; cum omnis lex necessariò & essentialiter spectet utilitatem publicam. *can. erit autem d. 4.* Si regeas, Clericos sentire commodum Reipublicae politicae: ergo & onus legum sentire debent. *ry.* Si hoc onus ipsis imponere posset legislator Laicus. *C. secus. Nego.* Sed sic turbatur communitas, *ais. ry. Neg.* saepe etiam Saeculares, pura Nobiles &c. eximuntur à communi lege. & tamen non turbatur Respublica.

Ad 6. Si lex teloniorum mentionem faceret de Clericis, & sic directè intenderet eos ligare, per se & nimis manifestè foret nulla, tum pro-

(*R. P. Pichler Decisiones.*)

pter defectum jurisdictionis, quam legislator Laicus non habet, tum quia praedicaret libertati Ecclesiasticae, Si verò mentionem non facit Clericorum, eo ipso ad hos, utpote non subditos, non est extendenda, ac insuper quia est odiosa. per Jura notoria. *Gail l. 2. observ. 32. n. 3.* cum communi. Dein legislator, mentionem explicitam non faciens Clericorum, vel intendit tacite & implicite obligare Clericos, vel non? si non, hoc ipso non obligantur: si ita, tunc non per accidens, ut vult objectio, lege afficerentur Clerici, sed per se, & ex intentione legislatoris tacita, & quidem meò judicio directè; consequenter nulla esset vis hujus legis; quia taciti & expressi eadem vis est, & non est. Sed nec indirectè leges in Clericos ferri à Laicis possunt, ut habet communis fortè omnium Catholicorum, qui rite accipiunt vocem *indirectè*, & clarè desumitur ex Bulla Coenae *casu 5.* nempe propter defectum jurisdictionis; praesertim quando talis lex cedit in praediciam libertatis Ecclesiasticae; cum nihil intersit, an directè vel indirectè personis Ecclesiasticis auferatur jus, privilegium, favor aliunde competens: nec tam verba legis, quam effectus, quem legislator intendit directè vel indirectè, adeoque intentio legis, attendantur. Unde, si legislator Laicus statueret, ut accisa in solidum solvat Laicus aliquid vendens Ecclesiae vel Clerico, statutum esset nullum. *Carol. de Grassis*

C

n. 481.

n. 487. quia per indirectum læderetur Ecclesia vel Clericus, non per accidens tantum, qui propterea deberet tantò carius emere. Ad Confirmationem negatur paritas; quia exteris Laicis per tale statum non adimitur jus aliunde competens; bene tamen Clericis, quorum proin læderetur libertas, & Jus tam Civile quàm Canonicum, utique non sine peccato.



## TITULUS III.

### De Rescriptis.

#### DECISIO III.

De Dispensatione in impedimento Matrimonii per Rescriptum obtenta, cujus petitio per errorem perperam fuit formata.

#### SPECIES FACTI.

**A**dolphus Majerus statuerat contrahere Matrimonium cum Anna Crusia, at quia ipsi obstabat affinitas in tertio gradu cum hac puella, dispensationem super hoc impedimento per tertium quemdam impetrari Romæ sibi voluit. Sed iste tertius partim per incuriam partim per imperitiam non debito modo efformavit petitionem; nam loco *Adolphus* scripsit *Rudolphus*, & loco *affinitatis* posuit impedimentum *consanguinitatis*, diœcesin verò Annæ, seu locum originis, quam Anna habuit diversam à diœce-

si Adolphi, non expressit, imò haud obscure insinuavit, utriusque originem & diœcesin esse eandem. Unde Roma, quæ solet in his casibus dispensationem, vel hujus executionem committere Ordinario sponsæ, Rescriptum misit ad Ordinarium Adolphi, rata, eundem esse Ordinarium etiam sponsæ quoad originem; nam in dispensationibus matrimonialibus Roma attendere solet locum originis, non domicilii, nisi Oratores expressè velint Rescriptum dirigi ad Ordinarium domicilii. Unde oriebat̃ur

*Questio.*